


A-31-145

Photog

Biblioteca Universitaria  
GRANADA

Sala	A
Estante	31
Tabla	
Número	AH5

25



Notiene este tomo papel alguno prohibido  
en el <sup>Reino</sup> ~~comparacion~~ Reino, ni en los ~~decretos~~ decretos de  
S.<sup>ta</sup> Inquisicion y venimos Sapient presente en el 1725.



R-131125  
S.<sup>MI</sup> D. N. S I X T I

DIVINA PROVIDENTIA

PAPÆ V. *Archiv.*

P R A E C E P T U M

De festo SS. Placidi & Sociorum Martyrum


C E L E B R A N D O

*Et in Calendarium Romanum reponendo : Et Concessio Indulgentia*

*Pro visitantibus Ecclesiam S. Io. Baptistæ Messanen.*

*Vbi eorum Corpora nuper inuenta fuerunt.*

*De la Comp<sup>a</sup> de Jesus de Granada*



*De la Comp<sup>a</sup> de Jesus de Granada*

R O M A E

*Apud Hæredes Antonij Bladij, Impressores Camerales.*

M. D. LXXXVIII.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
DEPARTMENT OF THE HISTORY OF ARTS  
OF THE EAST ASIAN LIBRARY

1. The University of Chicago  
2. The University of Chicago  
3. The University of Chicago

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
DEPARTMENT OF THE HISTORY OF ARTS  
OF THE EAST ASIAN LIBRARY

*Handwritten signature*

R O M A E  
M. D. LXXV. III.

# SIXTVS Episcopus Seruus Seruorum DEI AD PERPETVAM REI MEMORIAM.



**D**OMINVS Omnipotens qui suauiter cuncta disponit, misericordiarum Pater & Deus totius consolationis, sacrosanc̄tam eius Ecclesiam pretioso vnigeniti filij sui sanguine acquisitam, & in Apostolicę confessionis petra solidatam, voluit nedum inter mundi aduersa & turbines sanc̄ti martyribus quasi fortissimis propugnaculis tueri, verum eorundem gloriosis trophæis ita indies illustrari, vt non modo illi felicissimas de impijs persecutoribus & Christianę fidei hostibus in hoc sæculo victorias reportando eandem propagarent, sed mox ad æternam ipsi cęlestis patrię beatitudinem euecti pie apud Deum intercedendo illam vel maxime iuuarent, ac perpetuo iuuent: Vnde non immerito sacrę eorum reliquię & eorundem patrimonum monumeta in terris relicta Christianum populum ad laudandam in eis diuinam maiestatem, ad illorum salutaria exempla imitanda ad rerum humanarum & prætereuntis huius sæculi despicentiam, ad eorum deniq; opem & patrocinium in tribulationibus & necessitatibus inuocandam, mirum inmodum excitant. Inter hos vero ipsos quos martyrij corona donatos catholica inuocat & veneratur Ecclesia merito insigni honore celebranda est memoria sanc̄torum Placidi & sociorũ martyrum, qui Iustiniani Magni Imper. temporibus cum sancti Benedicti tunc adhuc viuientis religionis zelum & vitę sanctitatem admirati sub illius regula se Dei obsequijs dicaissent, & in Monasterio cum Ecclesia sancti Ioannis Baptistę, prope muros Messanę Ciuitatis tunc recen-ter ab ipsomet Placido in paterno fundo extructo & insituro, cuiusdem Placidi a sancto Benedicto eo missus tanto Magistro dignus discipulus præerat, gratum altissimo exhiberent famularum; ad eam perfectionem breui peruenerunt, vt cum eorum sanctinonię fama longe lateque diffusa etiam in Vrbem Romam peruasisset, impulerit pios ipsius Placidi fratres germanos Eurychium & Victorinum, & virginem Flauiam eorundem sororem ad iter suscipiendum Placidi fratris visendi causa: sed diuina prouidentia factum est, vt cum Messanam uenissent, & apud eum vix per paucos dies morati essent, crudelissimi Sarracenorum Regis, vel potius Tyranni Abdalę classis, Christiano nomini nefarium bellum, Insulę verò Sicilię vastitatem, incendia, rapinas inferens ad eandem Ciuitatē ex improuiso appulerit: Vbi eius classis Dux Mammucha cum in Monasterium irrupisset, cœpit mira feritate contra eos omnes in vincula cōiectos sequere, & acerbissimis quibusdam cruciatibus, exquisitisque tormentorum generibus conari, si qua ratione posset eos à Christiana religione dimouere. Verumtamen ipsi adiuuante Spiritus sancti gratia & non modo in religiosis uiris, sed in alijs quoque Placidi fratribus, atque adeo in sexu fragili & virgineo pectore suam diuinam virtutem mirabiliter ostendente, cuncti in Christianę fidei præclara confessione fortiter perseverantes agonem suum glorioso Martyrio consummarunt: Cumq; eorum quidē animę triumphalem palmam adeptę in cælum euolassent, corpora vero multis, vt antiq; testatur historię, magnisque miraculis illustra in Ecclesia S. Ioannis Baptistę Messanenensis, quę postmodũ successu temporis in Prioratũ Hospitalis eiusdem S. Ioannis Hierosolymitanã fuit erecta, pie sepulta & recondita, temporum iniuria per multa sæcula, ita inibi occulta latuissent, vt iam nostra ætate licet ex pluribus antiquitatis monumentis constaret, ea in præfata Ecclesia S. Ioannis Baptistę sepulta fuisset: tamen certus eius Ecclesię locus, vbi sita forent, penitus ignoraretur: placuit tandem diuinę misericordię sacra nonnullorum ex eis monumenta & reliquias, dum pro fundamentis in reparatione ipsius Ecclesię iaciendis humus effoderetur, post longum temporis intervallum, nuper in lucem proferre: Quare cum primum ex relatione Venerabilis fratris Antonij Archiepiscopi Messanen. compluribus desuper examinatis testibus ac processu formato, & ad nos transmissio id nobis significatum fuit; Nos attendentes iuxta antiquissimum catholicę & Apostolicę Ecclesię vsum a primæuis Christianę religionis temporibus receptum, Sanc̄torumq; Patrum vnanimem consensionem & sacrorum conciliorum, ac nouissime œcumenici Tridentini decreta beatorũ martyrum & aliorum cum Christo in cælis regnantium sancta corpora, per quę multa beneficia à Deo mortalibus præstantur congruo quidem honore veneranda esse: sed eam adhibendam cautionem in sacrarum reliquiarum veneratione vt omnis superstitio tollatur, nec nouas reliquias recipiendas esse, nisi prius ab Episcopo recognitę & approbatę fuerint, recogitationem processu huiusmodi Venerabilibus fratribus nostris S. R. Ecclesię Cardinalibus super interpretatione & executione dicti Concilij Tridentini deputatis duximus committendam, qui ipso processu diligenter, pro ut rei grauitas postulabat considerato & recognito, necnon vocato & audito eodem Antonio Archiepiscopo qui & sacras reliquias, & alia complura antiquitatis monumenta in ea Ecclesia inspexit, & deinde ad nos & beatorum Apostolorum limina visitanda in Vrbem venit, cum



nobis retulissent satis constare de aliquorum ex dictis sanctis corporibus inuentione: Nos primum quidem ingentes Deo omnipotenti gratias egimus, quod inter cetera que his calamitosis & turbulentiis temporibus Christiano populo indies largitur plurima & maxima beneficia, hoc quoque insigni munere quasi pretiosissimo thesauro detecto dignatus sit dictorum Placidi & sociorum Martyrum memoriam renouare. Nunc autem ut pro nostro pastoralis officio quantum in nobis est curentus ne inuictorum Martyrum corpora diuina erga nos charitatis pignora que viuia membra fuerunt Christi & templa Spiritus sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda & glorificanda diutius inobscuret vetustas, aut ex animis Christifidelium deleat obliuio; sed ut potius eis omnium gentium & seculorum predicatione dignissimis honor debitus, si non pro ipsorum dignitate ac meritis, saltem pro nostra tenuitate tribuatur: Simulque excitentur iidem fideles ad eorum vestigia pro cuiusque captu prosequenda, & ad inuocandam opem illorum quos & ipsius Ecclesie amantissimos & propter religiosam vitæ professionem & obseruationem, castimoniam, sanctitatem, & constantem Christianæ fidei confessionem Martyrio consummatam Deo acceptissimos esse intelligimus, ac denique ut in eorundem ueneratione Dei qui se per os Dauid in sanctis suis laudari præcipit, immensa bonitas glorificetur & piæ Christifidelium mentes ad eorum memoriam recolendam anniuersaria commemoratione & celebritate admonentur. Habita prædictorum Cardinalium relatione de eorum consilio & assensu auctoritate Apostolica tenore præsentium præcipimus, ut eorundem sanctorum Martyrum Placidi & sociorum dies festus, quo ipsi bono & legitimo certamine pro Christi gloria absoluto, cursu consummato, fide seruata, nobilissima Martyrii corona decorati ad celestem patriam migrauerunt, nimirum iij. Non. Octobris in omnibus Christiani orbis partibus sub officio simplici, in Messanenſi uero Ciuitate diocesi & prouincia duplici, & præterea alter dies festus inuentionis eorundem Prid. Non. Augusti in Ecclesia præfata S. Ioannis Baptistæ Messanenſis duntaxat sub duplici pariter officio a cunctis personis Ecclesiasticis secularibus, ac quorumuis ordinum regularibus de communi plurimorum Martyrum, ubi proprium deerit, perpetuo celebretur. Volumusque ut in Calendario quo nunc utimur sicut in Romano Martyrologio & antea in quibusdam Calendarijs habebatur, ad eum diem eorundem sanctorum nomina ascribantur; etiam si in nouissima Missalis & Breuiarij Romani editione ea fuerint prætermissa. Hortantes utriusque sexus Christifideles ciuitatis Messanenſis incolas, ut eorundem Martyrii diem festum pie ac religiose colant & obseruent & sicuti in reliquis diebus festis de præcepto Sanctæ matris Ecclesie moris est, a seruilibus operibus abstineant: ac demum ad augendam Christiani populi erga eosdem inclitos Martyres deuotionem, utque eo frequentius & ardentiori pietatis studio confluant ad sacra eorum sepulchra, quo uerius cognouerint se per hoc celestis gratiæ donis esse reſectos, de omnipotentis Dei misericordia & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi eisdem Christifidelibus uere penitentibus qui peccata sua sacerdotibus idoneis ab ordinarijs locorum approbatis confessi fuerint, ac sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum susceperint, & prædictam Inuentionis die festo dictam Ecclesiam ubi eadem sancta corpora requiescunt, deuote uisitaerint, atque inibi spias ad Deum preces fuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam & remissionem perpetuo concedimus & elargimur. Quo circa mandamus uniuersis & singulis Venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, cæterisque Ecclesiarum Prelatis, ut præſentes litteras in suis quilibet Prouincijs, Ciuitatibus & locis solemniter publicari; & ab omnibus personis Ecclesiasticis secularibus & regularibus ubique gentium & locorum inuoluntate obseruari curent. Volumus autem ut earundem præsentium exempla, etiam impressa Notarij publici manu subscripta, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obſignata eandem prorsus ubique fidem faciant, quam ipsæ præſentes facerent, si ostenderentur uel exhiberentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum præcepti, uoluntatis, hortationis, concessionis, elargitionis & mandati infringere, uel ei ausu temerario contraire Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ. M. D. LXXVIII. Id. Nouembris, Pontificatus nostri anno Quarto.

E. Card. Prodat.

Io. Ang. Papius.

S. de Vrſinis.

Registrata apud Io. Angelum Secretarium.

Annus Natiuitatis Domini, Millesimo quingentesimo octuagesimo octauo, Indictione prima, die uero decima sexta Mensis Decembris, quaterſanus Saeculus, in Christo Patris, & D.N. S. Sixti diuina promouentia Pape V. Anno Quarto: Reuocata litteræ Apostolicæ hanc auctoritate fuerunt in ualuis aſſilicarum S. Lo. Lateranen. & S. Petri Principis Apostolorum de Vrbe, necnon Cancellarie Apostolicæ & acie Campi Floræ, ut moris est per nos Hieronymum Lutium & Io. Baptistam Bagui eiusdem S. D. N. Pape Cur

Alex. Parabiachus Mag. Curſorum.